



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Iudicioru[m] diuersitas, apud Iudæos, à numero Iudicum, cui triplici generi, etiam diuina iudicia æquiparantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

tiámque vltimam, atque immutabilem approbationis, vel impro-  
bationis, palàm, pronuntiaturus est.

I X.  
Vide Ioan.  
Maldon. in  
c. 5 Matth.

Luc. 12. 7.

In Thalmudicis traditionibus habetur, tria extitisse, apud  
Hebræos tribunalia. Primum Triumvirum, in quo de minutissi-  
mis disceptaretur causis. Secundum, in quo viginti tres iudices  
de causis maioribus itemque capitalibus cognoscebant. Tertium,  
in quo vnus & septuaginta lecti viri de rebus grauissimis maximè-  
que publicis, vt de pace, de bello, de falso Propheta, de summo  
Sacerdote iudicauerunt. Primum, aiunt, vocatum fuisse *iudicium*,  
secundum, *synedrion*, seu *confessum*, voce à Græcis vsurpatâ; ter-  
tium, *magnum confessum*, sicut Galli *magnum regis consilium* appel-  
lant. Pari modo triplex est Dei tribunal. Primum SS. Trinitatis fo-  
lius, quasi Triumvirum, in quo prorsus etiam de minutissimis dis-  
ceptatur causis, ad extremum vsque quadrantem; ad passerem,  
vsque in tecto pipientem, quin immo vsque ad capillum, non sine  
consilio, de vllius capite cadentem. Nihil quippe ad eò in mundo  
est paruum, nihil ad eò vile, quod sine æquissimo Dei iudicio cõ-  
tingat. Si enim *capilli capitis nostri omnes numerati sunt*; si neque  
vnus passerulus *est in obliuione, coràm Deo*; quantò magis homines  
ipsi numerabuntur; & sub cura gubernationeque Numinis erunt?  
Maximus igitur Deus, de minimis etiam curat; quod mortalis  
Prætor non facit. Atque hoc *Iudicium regiminis* ad solam SS. Trî-  
nitatem, velut ad Triumuiros, pertinet. Quidquid enim in Mùn-  
do geritur, diuinissimæ hæ tres personæ ab æterno prospexerunt,  
& in intimâ sapientiæ curia, solæ disposuerunt. Alterum illud iu-  
dicium, seu *synedrion* ad plures pertinebat, nec in eo nisi graua ne-  
gotia tractabantur, cui *Iudicium PARTICVLARE* respondet. Nã  
huic non solus Deus adest, sed intersunt etiam Angeli alijque non  
rarò Sancti, & in eo agitur de re vtique magni momenti; nempe  
de acquirenda, vel perdenda hominis æternâ salute. Tertium de-  
niq; *Iudicium* est, cui plurimi & intersunt, & præsent, in quo de  
rebus & maximis, & maximè publicis dijudicatur. Huic simile est  
diuinum illud & vniuersale *Iudicium*, in quo, pleno concilio, &  
Apostoli, & alij Sancti, vna cum Deo, de præmijs bonorum, sup-  
plicijque malorum iudicabunt.

X.

De his tribus *Iudiciorum* generibus, diuersis voluminibus  
constitui agere; nullius enim consideratio suâ caret vtilitate. Pri-  
mum autem de primò & quidem paulo copiosius disputabo, vt;  
perspectis quibuscunque & qualibuscunque, etiam à condito or-  
be